



213.



## Disputatio XII.

DE ADULTERIO, STUPRO, INCES-  
tu, Lenocinio, Sodomia, &  
Raptu,

QVAM,

*Diuinâ aspirante gratiâ,*

PRESIDE,

CLARISSIMO,  
ET CONSULTISSIMO VIRO,  
DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.  
*eminentissimo, & in illustri Academia Tubingensi Professore  
celeberrimo, Domino Praeceptore suo  
honorando:*

ORDINARII EXERCITII GRATIA,  
tempore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate de-  
fendere conabitur

M. GEORGIUS LEBEMYCVS  
*Austriacus.*



TUBINGA,  
Typis Georgij Gruppenbachij,  
ANNO M. D. XCVIII.

Mm

Disputatio XII

DE AERIS ET TERRAE

Essentia

et

Qualitates

et

CLARISSIMO

ET DOCTISSIMO

DOCTORE

PHILOSOPHIAE

et

ORDINARI

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

et

PHILOSOPHIAE

et

PHILOSOPHIAE

et

PHILOSOPHIAE

et

PHILOSOPHIAE

et

PHILOSOPHIAE

et

PHILOSOPHIAE



## Disputatio XII.

DE ADULTERIO, STUPRO, IN-  
cestu, Lenocinio, Sodomia, &  
Raptu,

## T H E S I S I.

**S**EQVITVR, VT DE ADULTERIO, STUPRO, IN-  
cestu, Lenocinio, Sodomia, & Raptu dispiciamus. Adul-  
terium est crimen publicum, (a) concubitu cum alteri-  
us coniuge commissum. (b) Ita dictum, quòd sit ad al-  
terius thorum accessus. (c)

a) *l. Quamuis 30. in prin. C. ad Leg. Iul. de adulter. l. 1. ff. de public. iudic.*  
*§. Item lex Iulia, iuncto §. precedenti, Instit. d. tit. (b) Alij aliter defini-*  
*unt: nobis hac definitio placet, contexta ex l. inter stuprum 101. in prin. &*  
*l. fugitiuus 225. vers. Nam & furem, ff. de verb. sig. l. inter 6. §. lex stuprum.*  
*1. & l. stuprum 34. ff. ad l. Iul. de adulter. d. §. Item lex Iulia, de adulterijs.*  
*Instit. de public. iudic. (c) arg. d. l. inter 6. §. 1. ibi, propter partum ex alte-*  
*ro conceptum, composito nomine, ff. ad leg. Iul. de adulter. Ioan. Gædd. ad d. l.*  
*inter stuprum 101. in prin. nu. 8. ff. de verb. sign. c. lex illa, §. adulterium,*  
*35. quest. 1.*

## I I.

In Adulterio spectamus tum modum, quo crimen illud com-  
mittitur: tum accùsationem rei huius criminis: tum etiam sceleris  
huius probationem: tum deniq; pœnam, quæ in reum huius facino-  
ris conuertitur.

## III.

Modus committendi Adulterium in duplici est differentia: aut  
enim eo continetur factò, quo propriè Adulterium committitur: aut  
in eiusmodi consistit factò, quod propriè quidem adulterium non  
est, pro adulterio tamen habetur, (a) & quasi adulterium dici-  
tur. (b)

a) *l. auxilium 37. §. 1. vers. dixi, ibi, quæ pro adulterio. ff. de minorib.*  
(b) *l. si quis adulterium 33. §. vlt. ibi, quasi adultera tenetur. ff. ad leg. Iul.*  
*de adulter.*

Mm 2

Factum

## IIII.

Factum, quo propriè adulterium committitur, est, cum mas aliquis pubes cum fœmina pubere, (a) coniuge aliena (b) concumbit: quorum ille adulter, hæc adultera appellatur. (c)

a) *l. si vxor 13. §. si minor duodecim. 8. ff. ad leg. Iul. de Adult.* (b) *per fundamenta th. 1. sub lit. B. ad scripta.* (c) *l. si maritus 15. §. ult. & l. denuntiasset 17. §. queritur 6. ff. d. t.*

## V.

Sed quod de coniuge aliena dicimus, an exaudiendum quoque sit de sponsa aliena, in dubium vocatur. Nos affirmantium partes sequimur, (a) etiam si non de præsentis, (b) sed de futuro sponsa fuerit. (c)

a) *Per l. propter 7. C. ad leg. Iul. de adulter. l. miles 11. §. querebatur 7. & l. si vxor 13. §. Diui Seuerus, & Antoninus 3. ff. d. t. Cuiac. lib. 6. obs. cap. 16. & lib. 20. obser. cap. 16. & in lib. 2. Papin. de adulter. pag. 680. & seq. Vide etiam Anton. Fabr. lib. 3. coniecturar. cap. 6.* (b) *Quidam distinguunt inter sponsam de præsentis, & sponsam de futuro; cum illa, non etiam cum hac adulterium committi aiunt. Didac. Couar. in Epit. in lib. 4. decretal. cap. 1. n. 8. & Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. adulterium. n. 8.* (c) *d. l. si vxor 13. §. Diui Seuerus 3. ibi, nec spem matrimonij. ff. ad leg. Iul. de adulter. iunct. l. 1. ff. de sponsalib.*

## VI.

Queritur de aliena coniuge, meretrice adhuc vulgari, an cum hac quoque adulterium committatur? Negantium voto accedere non dubitamus: (a) non autem si illa meretricios mores priùs exuerit, idem sentimus. (b)

a) *Per text. in l. si ea, quaestupro 22. C. ad leg. Iul. de adult. Emanuel Soarez Thesauro recept. sent. in lit. M. num. 139. Dissent. Ioan. Vaud. lib. 2. variar. quest. quest. 21.* (b) *l. si vxor 13. §. sed & in ea vxore 2. ff. d. t. Vide Anton. Capic. decis. 44. n. 4. & 5. Iul. Clar. lib. 5. sent. §. adulterium. n. 3.*

## VII.

De iniusta alicuius vxore quis non immeritò dubitare posset? Nos cum hac quoque adulterium committi affirmamus.

*Per text. in l. si vxor 13. §. 1. vbi Bart. n. 3. ff. ad leg. Iul. de adult. Sed obstare videtur d. l. si vxor 13. §. sed etsi ea sit mulier 4. ff. d. t. Vide Cuiac. lib. 6. obseru. cap. 16.*

Quòd

VIII.

Quòd si maritus cum cœlibe fœmina concumbat, adulterium non committitur.

*Per text. th. 1. sub lit. B appositos. Atq; hac communis est sententia, Clar. lib. 5. sent. §. adulterium, n. 2. Dissent. Menoch. lib. 2. de arb. iud. quest. cas. 420. n. 107. 108. & seq.*

IX.

Vnde nec iure Iustiniano committit adulterium maritus, qui cum alia muliere soluta nuptias, vel sponsalia contrahit, viuâ adhuc priore coniuge. (a) At iure Carolino, (b) itemque Canonico iure (c) hic maritus eo facto se adulterio quoque polluit.

a) *per eadem fundamenta, thesi primæ apposita, sub lit. B. & per text. in l. eum qui 18. C. ad leg. Iul. de adult. Et ita sentit Angel. in tract. de malefic. in verb. ehe me hai adulterato la mia dona n. 65. Et ibi Augustin. Ariminensis in addit. Item Vvesenbec. in parat. ad leg. Iul. de adult. n. 8. At dissentit Ludou. Romanus singul. 537. (b) Peinliche Halsgerichtsordnung Kaiser Karls des V. artic. 121. (c) c. gaudemus 8. §. quia verò ext. de diuort. c. cum haberet 5. ext. de eo, qui dux. in matrim. quam per adult. poll. August. Ariminensis ad Angel. dicto loco.*

X.

Sequitur de facto, quod pro adulterio habetur. & quasi adulterium dicitur. Eiusmodi factum est, si quis adulterij damnatam sciens uxorem ducat, (a) vel in adulterio deprehensam uxorem suam non dimittat, (b) aut questum de adulterio vxoris suæ faciat, (c) vel si quis precium pro comperto adulterio accipiat, (d) tum etiam, si vxor ex adulterio viri precium capiat: (e) Si quis item domum suam crimini adulterij committendo præbeat, (f) aut ope, consilio faciat, vt vir, fœminæ in adulterio deprehensa, pecuniâ, aliâque qua pactione se redimat: (g) vel tutor pupillam suam, aut curator adultam intra vicesimum nonum annum ducat uxorem, non desponsatam à patre, vel destinatam in testamento: (h) vel concubina, quæ nomen alicuius matronæ gerit, pudorẽ suum alienis libidinib. prosternat. (i)

a) *l. mariti 29. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adulter. l. auxilium 37. §. 1. vers. dixi, nec si quid ff. de minor. (b) d. l. auxilium 37. §. 1. ff. d. t. l. 2. §. 2. l. miles 11. §. vlt. l. si quis 33. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult. l. crimen lenocinij 2. l. castitati 9. l. sine metu 17. C. d. t. (c) d. l. mariti 29. §. qui questum 3. ff. eod. tit. & d. l. auxilium 37. §. 1. vers. dixi. ff. de minor. (d) d. l. auxilium 37. §. 1. ff. d. tit.*

M m 3

l. 2. §

*l. 2. §. lenocinij 2. d. l. mariti 29. §. plectitur 2. ff. ad leg. Iul. de adult. l. de crimine 10. C. d. tit. (e) l. si quis adulterium 33. §. vlt. ff. eod. tit. (f) dict. l. auxilium 37. §. 1. vers. dixi, ff. de minorib. l. qui domum 8. l. etsi amici 9. & l. seq. ff. ad leg. Iul. de adulter. (g) l. is, cuius ope 14. in prin. ff. d. t. Obsta-  
re videtur l. mariti 29. §. plectitur 2. vers. vlt. ff. eod. tit. (h) l. qui pupil-  
lam 7. ff. d. t. Vide Balduin. in Iustiniano, pag. 338. (i) d. l. si vxor 13. in prin.  
ff. ad leg. Iul. de adult.*

## XI.

Accusationem adulteri, adulteræque quod attinet, circa eam tri-  
plex inspectio occurrit: vna eorum, qui accusant: altera quo loco, &  
ordine, quaque formâ accusatio isthæc sit instituenda: tertia de tempo-  
re, intra quod absque metu exceptionis hæc fieri accusatio possit.

## XII.

Accusationem hanc facitare quidem potest quilibet de popu-  
lo, (a) annis 25. maior, (b) masculus: (c) verum extraneis præ-  
fertur maritus, pater, socer, frater, patruus, auunculus adulteræ: &  
quidem maritus, & post eum pater alijs omnibus regulariter antepo-  
nitur. (d) Et quamvis iure Iustiniano vxor virum suum de adulte-  
rio accusare non possit; (e) attamen hæc potestas ei constitutione  
Carolinâ tribuitur. (f)

a) *l. palam 43. §. Senatus censuit. 10. ff. de ritu nuptiar. & §. 1. Instit.  
de public. iudic. l. quamvis adulterij 30. C. ad leg. Iul. de adult. l. si maritus 4.  
§. 1. ff. eod. tit. (b) l. si maritus 15. §. lex Iulia 6. vbi Bart. ff. d. t. De socero  
est textus in l. miles 11. §. socer 3. ff. eod. tit. (c) l. 1. C. h. t. (d) l. quamvis  
30. C. d. t. l. 2. §. pen. & vlt. l. nisi igitur 3. l. 4. l. si maritus 15. §. si negauerint 5.  
& l. constante 26. §. 1. ff. eod. t. (e) d. l. 1. C. h. t. (f) In der peinlichen  
Halsgerichtsordnung/artic. 120.*

## XIII.

Et sicuti maritus iure mariti, pater iure patris, intra certum  
tempus, de quo postea; sic cæteri omnes iure extranei accusare di-  
cuntur.

*l. 2. §. 1. l. inter 6. §. vlt. l. si vxor 13. in prin. l. si maritus 15. §. lex Iulia 6. l.  
is, cuius ope 14. §. vlt. iunct. l. 2. §. vlt. & l. 4. §. extraneis 1. ff. h. t.*

## XIII.

Maritus autem non solum maior, sed & minor 25. annis, (a)  
etiamsi filiusfamil. sit, (b) vel iure mariti, vel extranei iure matri-  
monium suum vindicare potest.

a) *l. si ma-*



a) *l. si maritus 15. §. lex Iulia 6. ff. h. t.* (b) *l. inter 6. §. filiusfamil. 2. ff. eod. tit.*

X V.

Est & illud hinc notandum, quod extra maritum durante matrimonio accusare adulteram, vel adulterum nemo potest.

*l. miles 11. §. volenti mihi 10. & l. constante 26. ff. h. t. Nou. 117. cap. 8. & Auth. sed nouo iure, C. h. t.*

X V I.

Cæterum eo in loco institui hæc accusatio debet, quo admissum est hoc crimen.

*l. si dum 14. & l. seq. iunct. Auth. si verò criminis C. ad leg. Iul. de adult.*

X V I I.

Ordo, quo isthæc fieri accusatio debet, hic est, quod prius adulter peragi debet; quo conuicto, & damnato, ad mulieris nuptæ accusationem deuenitur: non possunt ambo simul ab eodem deferri.

*l. 2. in prin. & l. nuptam 5. l. miles 11. §. licet ei 11. l. si maritus 15. §. vlt. ff. h. t. l. reos adulterij, 8. C. eod.*

X V I I I.

Quod si tamen adultera in viduitate sit, (a) aut nupserit quidem alicui, sed maritus ei prius denunciauerit, ne nuberet, vel se adulterij acturum, ab ipsa etiam adultera accusator incipere potest. (b) Potest item vnus adulterum, alter adulteram accusare, dum, si ante denunciationem adultera nupserit, ipsa prior accusari non possit. (c)

a) *l. si maritus 15. §. pen. ff. ad leg. Iul. de adult.* (b) *d. l. 2. in prin. & l. qui vxori 16. & l. seq. ff. h. t.* (c) *l. denunciaffe 17. §. queritur 6. ff. d. t.*

X I X.

Et licet prædictis casibus ab ipsa adultera quis possit incipere; attamen adulter eodem tempore reus fieri non potest.

*d. l. si maritus 15. §. vlt. & l. nihil interest 32. §. 1. ff. h. t.*

X X.

Forma accusationis huius consistit in eo, quod accusator in crimen subscribere tenetur, (a) etiamsi maritus sit: (b) quodq; in reum præsentem accusatio dirigi debet, non in absentem: (c) nisi contra eum inchoatum fuerit crimen, priusquam prouinciam excesserit: (d) quod deniq; accusator ipsemet præsens adesse in iudicio, non per procuratorem accusationem instituere debet. (e)

a) *l. accu-*

a) *l. accusaturus* 35. ff. ad leg. Iul. de adult. & *l. libellorum* 3. in princ. & §. 1. ff. de accusat. (b) Nouell. 117. cap. 8. vbi Cuiac. & Auth. sed nouo iure. C. ad leg. Iul. de adult. Cuiac. ad tit. ff. de diuers. & tempor. præscript. cap. 13. (c) *l. si maritus* 15. §. 1. ff. d. t. & *l. si quondam* 15. C. eod. tit. *l. accusatore* 13. §. 1. ff. de publ. iudic. *l. absentem* 6. C. de accusat. (d) *l. adultera* 13. C. ad leg. Iul. de adult. & *l. inter accusatorem* 10. ff. de publ. iud. & *l. seruum* 33. §. publicè 2. ff. de procur. Obstare videtur *l. miles* 11. §. ea quæ. 2. ff. ad leg. Iul. de adult. & d. *l. accusatore* 13. §. 1. ff. de publ. iudic. Vide Cuiac. lib. 20. obseruat. cap. 11. c. 19. & 20. Vide eundem in lib. 2. Papiniani de adulter. pag. 677. in fin. (e) dict. *l. accusatore* 13. §. 1. ff. de public. iudic. & *l. tunc conuenit* 15. C. de accusationib.

## XXI.

Tempus quod attinet, intra quod adulteri, adulteræue accusatio instituenda est, distingui hîc debet inter maritum, & patrem adulteræ, hanc in potestate habentem, cæterosq; extraneos accusatores. Maritus etenim iure mariti, & pater suo ex priuilegio intra dies sexaginta vtilis extraneis omnibus præfertur: (a) post illud tempus dantur extraneis menses quatuor, similiter vtilis, (b) qui in nupta ex die diuortij, in vidua ex die commissi criminis numerantur: (c) atq; hi quatuor menses vtilis tribuuntur quoq; marito, & patri, si priuilegium sexaginta dierum amiserint. (d) Cæterùm licet vtilis sint menses illi, attamen sic computari debent, ne vltra quinquennium continuum à die commissi criminis computandum extendantur. (e)

a) *l. si maritus* 4. in prin. & §. 1. *l. miles* 11. §. sexaginta dies 6. *l. is, cuius ope* 14. §. pen. & *l. seq. in princ.* & *l. si negauerint* 5. *l. mariti* 29. §. sex mensium 5. vers. præterea, & *l. pater* 30. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adulter. *l. adulter* 5. C. eod. tit. (b) d. *l. 4.* §. 1. *l. miles* 11. §. sexaginta dies, 6. vers. quod priuilegium, & *l. mariti* 29. §. sex mensium 5. ff. dict. tit. (c) d. *l. mariti* 29. §. sex mensium 5. ff. eod. (d) d. *l. miles* 11. §. sexaginta dies 6. ff. h. tit. *l. iure mariti* 6. C. eod. tit. (e) *l. miles* 11. §. adulterij reum 4. *l. mariti* 29. §. sex mensium 5. & §. seq. *l. quinquennium* 31. ff. d. t. & *l. adulter* 5. C. eod. t.

## XXII.

Nunc de probatione adulterij non nihil agendum. Et quia adulterium est de his criminibus, quæ fiunt abdite, & occultè, euenit, vt non rarò sit probationis difficilimæ.

*l. consensu* 8. §. seruis etiam 6. C. de repud. Ioseph. Mascard. post alios de probat. conclus. 57. n. 3. & seq. vol. 1.

Probatur

## XXIII.

Probatur autem per testes, qui deponunt, quòd conspexerint marem, & fœminam complexu venereo iunctos: (a) Non autem necessario probatur hæc criminalis causa, si dicant testes, quòd viderint mulierem iacentem cum viro; aut quòd conspexerint nudum cum nuda in eodem thoro cubare: vel quòd conspexerint solum virum, & mulierem occultè se deosculantes, vel amplexantes: aut quòd viderint iuuenem in camera dispectoratum, & caligis dissolutis, dum mulier ianuam clausam teneret, & iuuenem adesse negaret. (b)

a) *l. quod ait lex 23. in prin. ibi, si in ipsa turpitudine, item, ibi, in ipsis rebus Veneris. ff. ad leg. Iul. de adult. c. præterea 27. ibi, de visu, extr. de test. & ad test.* (b) *arg. d. l. quod ait lex 23. in prin. ff. ad leg. Iul. de adult. De his actibus omnibus vide Laurent. Kircho. com. opin. cent. 1. concl. 5. & Mascard. de probat. conclus. 59.*

## XXIII.

Si tamen maritus ageret ad thori separationem, per actus prædictos adulterium probaretur.

*d. c. præterea 27. extr. de test. c. literis 12. & c. tertio loco 13. extr. de præsumpt. Kircho. & Mascard. dict. locis.*

## XXV.

Proindeq; arbitramur, probationem eiusmodi actuum duobus ad minimum testibus factam, modò cum illis actibus fama, & suspicio de adulterio concurrat, ad habendam quæstionem, & tormenta sufficere, si personarum conditio id patiatur.

*Per l. milites 8. §. 1. C. de quæstion. & l. 1. §. Diuus Severus 17. ff. d. t. Weintliche Halsgerichtsordnung Kaiser Karls des V. art. 18. 20. 22. 25. 27. 28. 30. & 45.*

## XXVI.

Serui quoq; , & ancillæ adulteri, & adulteræ, cum alia documenta deficiunt, quæstionibus subijci possunt.

*l. vim passam 39. §. ult. ff. ad leg. Iul. de adult. l. non solum 3. l. in adulterij quæstione 32. C. eod. t. d. l. consensu 8. §. seruis etiam 6. C. de repud.*

## XXVII.

Restat pœna adulterij, quæ vel priuata est, vel publica. Priuata, quam pater, itemq; maritus in adulterum, & adulteram conuertere potest. Patri enim datum est ius occidendi adulterum cum filia adultera, quam in potestate habet, (a) quando in ipsa turpitudine, & re-

Nn

bus

bus Veneris (b) in sua, vel generi domo, id est, habitatione, (c) eos deprehendit. Sed confestim vtrumq; vno propèictu, & vno impetu adulterum, & adulteram occidere debet, non illum hodie, hanc post diem. (d)

a) *l. patri 20. ff. ad leg. Iul. de adulter. l. Gracchus 4. C. eod. t.* (b) *l. quod ait lex 23. in prin. ff. eod.* (c) *l. nec in ea. 22. §. ius occidendi 2. dict. l. quod ait lex 23. §. quare non vbiq; 2. ff. h. t.* (d) *dict. l. quod ait lex 23. §. quod ait lex 4. ff. d. t.*

## XXVIII.

Marito quoque adulterum vxoris suæ occidere licet; sed non quemlibet, vt patri, neque in domo foceri. Potest enim duntaxat vilis conditionis adulterum, & quem domi suæ cum vxore deprehendit, occidere, vt si adulter sit leno; vel artem ludicram antè fecerit; in scenam saltandi, cantandiue causâ prodierit; iudicioue publico damnatus, neque in integrum restitutus erit: quiue libertus eius mariti, vxorisue, patris, matris, filij, filia, vtrius eorum fuerit; quiue feruus erit.

*l. marito 24. in prin. ff. ad leg. Iul. de adulter.*

## XXIX.

Non tamen distinguimus in marito, pater, an filiusfamil. (a) honestæ, aut vilis conditionis persona fuerit. (b)

a) *dict. l. marito 24. §. ceterum 2. ff. dict. tit.* (b) *dict. l. marito 24. §. vlt. ff. eod.*

## XXX.

Similiter, si maritus ei, quem suspectum habet de adulterio vxoris, ter in scriptis denunciauerit sub præsentia trium testium, & post inuenerit eum conuenientem vxori suæ, siquidem in sua domo, aut ipsius vxoris, aut adulteri, aut in popinis, aut in suburbanis, licitè eum suis manibus perimere potest.

*Novel. 117. cap. 15. & Auth. si quis ei. C. ad leg. Iul. de adulter.*

## XXXI.

Hæc verò occidendi potestas marito in vxorem adulteram data non est, (a) si tamen peremerit illam in adulterio deprehensam, cum difficilimum sit, iustum dolorem temperare, leuior ei pœna interrogatur, & vel in exilium, aut opus perpetuum traditur, si humili positus sit loco; vel relegatur ad tempus, si aliqua in dignitate sit constitutus. (b)

a) *l. nec*

a) *l. nec in ea 22. §. vlt. ff. ad leg. Iul. de adulter. Obstare videtur Iul. Paul. lib. 2. sentent. tit. 26. in prin. vbi vide Cuiac. corrigentem eum locum.*  
 (b) *l. si adulterium 38. §. Imperator. Marcus 8. ff. d. t. & l. 1. §. vlt. ff. ad leg. Cornel. de sicar. Differentia rationem, cur patri filiam adulteram, non marito vxorem adulteram occidere integrum sit, exponit Cuiac. in lib. 1. Papin. de adulter. pag. 668. col. 2. in fin. & pag. seq.*

## XXXII.

Est & hæc adulterij pœna priuata, quòd pater, & maritus adulteræ possunt impunè contumeliã afficere adulterum, quem & occidere queunt.

*d. l. nec in ea 22. §. sed qui occidere 3. ff. ad leg. Iul. de adulter.*

## XXXIII.

Quòd item mulier adultera, de adulterio conuicta, & repudiata dotem, & dotalitium amittit, & ex alia sua substantia tantum, quantum tertia pars dotis esse cognoscitur: quod vtrumq; mariti tribuitur proprietati, si filios non habeat mulier: sin filios habeat, & dos, & alia eius substantia illis conseruatur.

*Nouell. 117. cap. 8. vers. si de adulterio, & vers. seq. & c. plerunq; 4. vbi gl. & Canonista, extr. de donat. int. vir. & vxor. Facit etiam huc l. cum mulier 47. ff. solut. matrim.*

## XXXIV.

Similiter vir adulter perdit, præter acceptam à muliere dotem, propter nuptias donationem, quam in mulierem contulerat: eaque non existentibus liberis, ipsi mulieri iure proprietatis conceditur: si adsint liberi, vsusfructus quidem ad vxorem pertinet, proprietas verò liberis conseruatur.

*dict. Nouell. 117. cap. 8. vers. & si quidem habeat vxorem adulter. & Nouell. 134. cap. 10.*

## XXXV.

Publica adulterij pœna est, quæ iudicio publico criminis huius condemnatis reis irrogatur; quæ iure diuino in populo Iudaico fuit mors: (a) iure Canonico in terris Ecclesiæ Pontificiæ est in laicis excommunicatio, (b) in Clericis verò depositio, & detrusio in Monasterium, ad agendam pœnitentiam perpetuò. (c) Ciuili iure hodie adultero caput abscinditur: (d) adultera verò Iustiniano iure castigatur, & in monasterium detruditur; vnde tamen maritus intra bi-

N n 2

ennium

ennium eam recipere potest. (e) De consuetudine autem fustigata relegatur. (f)

a) *Leuit. 20. & Deuter. 22.* (b) *c. intelleximus 6. ext. de adulter. Roman. singul. 674.* (c) *can. si quis clericus 10. distinct. 81. Bernh. Diaz. in pract. crimin. can. cap. 89. Clar. lib. 5. sentent. S. adulterium. n. 8. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. centur. 5. casu 419. n. 60. Dissent. Paul. Grilland. tract. de poenis omnia. coitus, quest. 6. n. 3.* (d) *l. quamuis 30. §. vlt. C. ad leg. Iul. de adult. l. transigere 18. C. de transact. Nouel. 134. cap. 10. §. item lex Iulia 4. Instit. de public. iudic. iunct. ordinat. criminali Caroli V. artic. 120. Olim videtur fuisse poena relegationis, arg. l. si quis viduam 5. ff. de quest. l. miles 11. in prin. ff. ad leg. Iul. de adult. Cuiac. lib. 6. obser. cap. 11. & lib. 20. cap. 18. & ad Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 23. in prin. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 5. casu 419. n. 27. & 31. & seqq. Vvesenb. in parat. ff. de adult. n. 19. At communiter Dd. volunt, quod olim fuerit adulterij poena deportatio. Iul. Clar. d. S. adulterium, n. 8. (e) *Nouel. 134. cap. 10. & Auth. sed hodie. C. ad leg. Iul. de adult. Hanc in adultera poenam probare quoque videtur Carolus V. in ordinat. criminali, artic. 120.* (f) *Chilian. König in practica, tit. von dem Ehebruch/ vnd Pehnen desselbigen/ vers. aber zu diser zeit. l. Clar. quoque d. S. adulterium, n. 8. scribit, quod viderit condemnari adulteras in fustigationem, & exilium arbitrarium. Vvesenbec. in parat. ff. de adult. n. 19. memorat, in Saxonia adulteras virgis casas in perpetuum relegari.**

## XXXVI.

In quasi adultero, & adultera poenam relegationis mansisse, non absurdè quis dixerit: (a) nisi quasi adulterium in lenocinium cadat. Hoc enim capitali poenâ plectitur. (b)

a) *arg. l. precipimus 32. §. vlt. C. de appellat. iunct. l. penult. ff. de poen.*  
 (b) *Neuell. 14. §. sancimus igitur.*

## XXXVII.

Poenæ adulterij corporali adhæret etiam bonorum amissio. Adulter enim si adscendentes, aut descendentes vsq; ad tertium gradum non habeat, bona eius Fisco applicantur. Et si adultera non recipiatur à marito suo, descendentes eius duabus substantiæ partibus relictis, reliquum patrimonium iure Iustiniano monasterio datur. Si adscendentes saltem habeat, quatuor tantum vnciæ illis conceduntur, & cæteræ octo vnciæ monasterio cedunt. Si verò neq; descendentes, neque adscendentes adsint, tunc omnis substantia adulteræ eodem iure monasterio vindicatur.

d. Nou.

*d. Nou. 134. cap. 10. Vbi autem de consuetudine adultera non detruditur in monasterium, sed relegatur, ibi Fisco bona adulteræ applicanda videntur.*

## XXXVIII.

AD HVC de adulterio: nunc de Stupro videbimus. Stuprum est crimen publicum, (a) concubitu cum virgine, aut vidua, honestè viuente, non inuitâ commissum. (b)

a) §. Publica autem iudicia 3. iunct. §. sed eâdem lege Iuliâ. Instit. de public. iudic. (b) d. §. sed eâdem lege, Inst. d. t. l. inter 6. §. 1. & l. stuprum 34. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adulter. c. lex illa. §. stuprum 35. quest. 1.

## XXXIX.

Virginitas autem, & honestas (a) viduæ præsumuntur, (b) ita, vt stuprator contrarium asserens probatione oneretur. (c)

a) Ioseph. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1410. nu. 1. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 81. n. 1. (b) c. estote, ext. de reg. iur. arg. l. meritò 51. in pr. ff. pro socio Alciat. de præsumpt. Reg. 3. præsumpt. 1. & 2. Menoch. lib. 5. præsumpt. 1. 2. & 4. (c) Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. stuprum, n. 4. Mascard. dict. conclus. 1410. n. 2. & Menoch. d. lib. 6. præsumpt. 89. n. 3.

## XL.

Quòd si tamen ex probatis quibusdam indicatijs dubius efficiatur iudex, iuramento foeminae se virginem fuisse asserentis standum erit.

Iodoc. Damhouder. in praxi rer. criminal. cap. 92. n. vlt. & post alios Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1337. n. 6.

## XLI.

Et licèt maritus cum virgine, aut vidua concumbat, stuprum, non adulterium iure ciuili committit.

Per l. eum, qui duas 18. C. ad leg. Iul. de adult. l. 6. §. 1. l. stuprum 34. ff. d. t. Ang. tractat. de malefic. in verb. Ehe me hai adulterato, nu. 65. Vvesenbec. in parat. ff. ad leg. Iul. de adult. n. 20.

## XLII.

Vt omne crimen, de quo publico in iudicio quis accusatur, sic & stuprum vel testibus idoneis, vel indubitatis, & luce clarioribus indicatijs probandum erit.

*l. vlt. C. de probationib.*

Nn 3

Idonei

## XLIII.

Idonei autem omninò testes non sunt domestici, sed hi tantum iudicium faciunt.

*l. etiam 3. l. eos testes 5. C. de testib. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. stuprum, nu. 2. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1337. nu. 4.*

## XLIIII.

Indubitata verò, & luce clariora videntur esse stupri indicia, si iuuenis cum puella nuda in lecto, vel iuxta lectum repertus fuerit nudus: (a) non etiam si quis tempore nocturno, ad foeminam furtim accedere visus, vel etiam interdiu per plana, & nemora, vias, inuia sæpiùs cum muliere vagatus sit. (b)

a) *c. literis, 12. extr. de presumpt. Mascard. post alios, de probat. vol. 3. conclus. 1337. nu. 1. & 2.* (b) *c. Tertio loco, 13. & c. seq. §. Quocirca mandamus, extr. de presumpt.*

## XLV.

Pœna stupri alia lege Mosaica, alia Canonico iure, alia sanctione civili definita est. Lege Mosaicâ iubetur stuprator vitiatam foeminam & dotare, & in matrimonium ducere: (a) Iure canonico cogitur mas stupratam mulierem aut accipere vxorem, aut pro conditione illius dotare: (b) civilis sanctio præcipit, vt dimidia pars bonorum stupratoris, si honestus sit, publicetur: si humilis fuerit, corpore eius coërceatur, & relegetur. (c)

a) *Exod. 22. & Deuteron. 22.* (b) *c. 1. extr. de adulter. & stupro. Quòd si renuat vxorem ducere stupratam, corporaliter castigatus, excommunicatusq; in monasterium, vt in eo pœnitentiam agat, detruditur, c. 2. extr. dict. tit. Iul. Clar. dict. lib. 5. sententiar. §. stuprum, nu. 3. Vide Ioan. Bernhar. Diaz. in practic. criminal. canon. cap. 77. & Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 3. casu 288.* (c) *§. Sed eadem lege Iulia, Institur. de public. iudic. Obstare videtur l. 1. §. vlt. ff. de extraord. criminib.*

## XLVI.

Quòd si tutor suæ quondam pupillæ stuprum intulerit, pœna eius deporratio est, & omnium bonorum publicatio.

*l. vnic. C. si quis eam, cuius tutor fuerit, corruperit. Vide Nouell. Leonis 34.*

Qui



## XLVII.

Qui autem virginem necdum viripotentem corrumpit, in metallum damnatur, si humilis sit: si honestior fuerit, in insulam relegatur, aut in exilium mittitur.

*l. si quis aliquid 38. §. Qui nondum 3. ff. de pœnis. Sed vide Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 3. casu 294. ubi de huius stupri pœna variorum Dd. varias opiniones refert. Quid sit exilium, vide Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sentent. Tit. 4. §. Qui per calumniam.*

## XLVIII.

Sed quæstionis est, an virgo, & vidua eadem, quâ stuprator pœnâ teneantur? Id quod negamus.

*Id enim nullâ lege cautum reperitur, proindeq; nec dicendum, l. 5. in prin. ff. de probat. l. Illam 19. vers. superstitibus quidem filiis. ibi, Eo quod nulla constitutio super huiusmodi collatione posita esset, C. de collationib. Nouell. 18. cap. consideremus. 5.*

## XLIX.

Quæritur & illud, an vidua stuprata dotem amittat? Nos id affirmare non dubitamus de vidua, quæ intra luctus tempora pudorem suum stupro dimisit, (a) non etiam de ea, quæ post tempora luctus pudicitiam suam libidinibus prostravit. (b)

a) *Hac enim vidua suspicionem de se mouet adulterij, viuo marito cum altero illo mare commissi, Nouell. 39. cap. 2. §. Sed quia hæc, vers. Si enim illas. Et vidua, quæ intra luctus tempora cum alio mare concumbit, sanguinem defuncti mariti turbat, l. liberorum 11. §. 1. ff. de his, qui notantur infam. vt perinde sit, ac si viuo marito se alicui prostituerit. Vide Didac. Coar. in lib. 4. decretal. part. 2. cap. 6. §. 6. n. 11. & 12. (b) Tum quia nec ob stuprum hoc exheredari potest vidua, Nouell. 115. cap. 3. Tum quia simplicem donationem in se collatam ob id non amittit. arg. l. vlt. C. de reuocand. donat.*

## L.

Est & illa anceps quæstio, an Vasallus feudo suo priuetur, si cum vidua domini sui defuncti stuprum committat? Nos autem negatæ sententiæ patrociniū pollicemur; (a) nisi intra luctus tempora Vasallus viduam domini sui stupro maculauerit. (b)

*Per text. in tit. 21. §. vlt. ibi, vel si concubuerit cum vxore domini sui domino viuento, lib. 1. feudor. & ibidem Bald. nu. 4. Sonsbeck.*

beck. in commentar. in vsus feudor. part. 12. nu. 16. Frideric. Schenck à Tautenberg. ad t. 5. §. Item si fidelis, n. 1. lib. 1. Feudor. Eguinar. Baro lib. 3. de benefic. cap. 3. (b) arg. dict. Nouell. 39. cap. 2. §. sed quia hæc, vers. si enim illas, & dict. l. liberorum 11. §. 1. in fin. ff. de his, qui notantur infam. Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 30. nu. 143. Roland. à Valle, consil. 86. nu. 40. & 47. vol. 2. Iohan. Borcholi in commentar. in consuetud. feudor. cap. 8. nu. 97.

## L I.

SEQUITUR de incestu. Incestus, siue incestum est adulterium, vel stuprum, (a) cum cognata, vel affine, quæ in matrimonio haberi nequit, commissum. Estque duplex; Iuris gentium, & iuris ciuili. Incestus iuris gentium est, qui contrahitur inter parentes, & liberos, in infinitum, & inter nouercam, & priuignum, inter vitricum, & priuignam, inter socerum, & nurum, inter socram, & generum. Incestus iuris ciuili committitur cum ijs, qui ex transuerso nobis coniuncti sunt, veluti cum sorore, sororis filia, vel nepte, cum amita, vel matertera, cum amita magna, vel matertera magna, cum fratris filia, vel nepte, cum vxore fratris, & cum sorore vxoris. (b)

a) l. si adulterium 38. in prin. & §. 1. & §. 2. ff. ad leg. Iul. de adulter. & l. si quis 5. ff. de questionib. (b) l. vlt. ff. de ritu nuptiar. & l. vlt. ff. de condict. sine causa, dict. l. si adulterium 38. in prin. ff. ad leg. Iul. de adulter. Cuiac. in paratit. Cod. de incestis, & inutilib. nuptiar. & in lib. 2. Papin. de adulter. pagin. 677. col. 1. & in libr. 36. questionum Papiniani, pag. 201. & seq. & ad l. auxilium 37. §. 1. ff. de minorib. & in Nouell. 12. cap. 1.

## L II.

Hoc incesti crimen præscriptione quinquennij non excluditur, (a) sed præscriptione tantum vicennij. (b) Potest tamen aduersus duos simul intentari; (c) Et si per adulterium fuerit contractum hoc crimen, aut per stuprum in cognata, de seruis questio in dominium incesti postulatum haberi potest: (d) In alio autem incesto seruorum tormenta cessant. (e)

a) l. vim passam 39. §. præscriptione, 5. ff. ad leg. Iul. de adult. (b) per l. querela C. ad leg. Cornel. de falsis. (c) dict. l. vim passam 39. §. incesti. 7. ff. ad leg. Iul. de adult. (d) dict. l. vim passam 39. §. vlt. ff. dict. tit. & l. 5. in fine ff. de questionib. (e) l. 4. ff. d. tit.

Pœna

## LIII.

Pœna incesti omnis iure Pandectarum erat deportatio, (a) hodie verò, qui hoc crimen contraxit, gladio punitur, si per adulterium fuerit commissum; (b) si verò per stuprum incestus iurisdictionum fuerit commissus, pœna eius est exilium, & cinguli priuatio: & si vilis fuerit reus huius criminis, etiam corporis verberatio: (c) Similiter, si iuris ciuilibus incestum commiserit quis per stuprum, deportationis pœnam scripto iure adhuc locum habere existimamus. (d)

a) dict. l. si quis 5. ff. de questionib. (b) dict. l. quamuis 30. S. vlt. C. ad leg. Iul. de adulter. & l. Transigere. C. de transact. (c) Nouell. 12. cap. 1. Sed hunc incestum etiam capite puniri, vt adulterium, alij volunt. argum. dict. l. si adulterium 38. §. 1. & 2. ff. ad leg. Iul. de adulter. Ang. Tractat. de malefic. §. Ehe me hai adulterato, nu. 66. Paul. Grilland. Tractat. de pœnis omnifariam coitus, quest. 3. nu. 5. Damhouder. in praxi rer. criminal. cap. 94. nu. 3. Iul. Clar. post alios, lib. 5. sentent. §. incestus, nu. 2. Chilian. König in practica. Tit. Von der Pehn der Blutschandt / im Rechten / incestus genant. Vbi tamen addit, quòd de consuetudine rei huius criminis igne comburantur. (d) per dict. l. 5. ff. de questionib. iunct. dict. l. si adulterium 38. §. 2. ff. ad leg. Iul. de adulter. & dict. l. vlt. ff. de ritu nuptiar. VVesenb. autem ad Schneidevium. Tit. de public. iudic. §. Item lex Iulia, nu. 2. scribit, quòd incestus in collateralibus fustigatione puniatur.

## LIV.

Bona quoque adimuntur his, qui incestum commiserunt, ea-que iustis liberis seruantur, vsque ad tertium gradum, & parentibus vsque ad secundum, & fratri, sorori, patruo, amitæ: quibus personis deficientibus bona publicantur.

Nouell. 12. cap. 1. & 2. l. si quis incesti 6. iunct. Auth. Incestas nuptias. C. de incestis, & inutilib. nupt. Vide Cuiac, ad dict. Nouell. 12. cap. 1.

## LV.

Non solùm autem in marem, sed & in fœminam prædictæ pœnæ conuertuntur, si incestum fuerit iurisdictionum: (a) si iuris ciuilibus fuerit incestus, mulier non punitur, si prætendat iuris ignorantiam. (b)

00

a) dict.

a) dict. Nouell. 12. cap. 1. & dict. Auth. Incestas nuptias. C. de incest. & inutilib. nupt. (b) dict. l. si adulterium 38. §. 2. ff. ad leg. Iul. de adulter. & l. Qui in prouincia 57. §. 1. ff. de ritu nuptiar. Cuiac. ad dict. Nouell. 12. cap. 1. & in lib. 36. questionum Papinian. pagin. 204. & seq. Vide quoque Paulum Grilland. in dict. Tractat. de pœnis omnifariam coitus, quest. 2. nu. 6.

## LVI.

Cæterùm iure Pontificio incestus pœna est interdictio coniugij perpetua, cum pœnitentia, (a) & excommunicatio. (b)

a) c. 1. 2. & c. transmissa, 4. extr. de eo, qui cognouit consang. vxoris sue, can. si quis cum matre, can. si homo, & can. de incestis, 35. quest. 2. (b) can. De his, qui incesti. 35. quest. 2. & c. Clerici. extr. de excessib. pralator. Paul. Grilland. dict. Tractat. de pœnis omnifariam coitus, quest. 3. nu. 4.

## LVII.

N v n c breuiter de lenocinio. Lenocinij genera duo sunt: vnum est gratuitum, alterum quæstuarium: quorum hoc propriè, illud quasi lenocinium dici potest. Gratuitum lenocinium est, si maritus deprehensam in adulterio vxorem in matrimonio retineat, (a) vel quis adulterij damnatam vxorem ducat. (b)

a) l. 2. C. ad leg. Iul. de adulter. (b) l. castitati 9. C. eod. tit.

## LVIII.

Pœna prædicti lenocinij est eadem, quæ adulterij.

l. auxilium 37. §. 1. vers. sed vt ad legis Iulie. ff. de minorib. l. 2. §. lenocinij, 2. l. Qui domum 8. l. mariti 29. in prin. ff. ad leg. Iul. de adulter.

## LIX.

Huius item generis lenocinium est, si quis efficiat, vt improvidæ, & simplices mulierculæ, maximè verò puellæ honestæ pudorem suum alienis libidinibus prosternant, vel ad hoc scienter, & malitiosè domicilia sua locata, aut in illis id fieri patitur: cuiusmodi lenones, & lenæ pro facti qualitate, ex consilio Iurisconsultorum, vel extra prouinciam relegantur, vel infami columnæ adpo-

adponuntur, vel auribus multantur, vel virgis ceduntur, vel qua  
aliâ pœnâ afficiuntur.

Peinliche Halsgerichtsordnung Kayser Carls des V. artic. 123. Fürst.  
Würt. Landsordnung / pag. 207. & seq.

## L X.

Quæstuarium lenocinium est, cùm quis, quæue ex concubi-  
tu fœminæ, quam alienis libidinibus prostituit, quæstum capit: Et  
mas, qui lenocinium exercet, leno dicitur; fœmina, quæ facit le-  
nocinium, lena appellatur.

*l. Athletas. 4. §. ait Prator. 2. ff. de his, qui notantur infam. l. palam  
43. §. lenocinium, 6. & 55. seqq. ff. de ritu nuptiar. l. lenones 6. & l. seq.  
C. de spectaculis, lib. 11. l. si lenones 12. C. de Episcopal. audient.*

## L X I.

Huius lenocinij tria sunt genera. Primum est, cùm quis vxo-  
risuæ, vel filia, vel ancilla necessitatem imponit, vt pudicitiam su-  
am alienis libidinibus prosternat; cuiusmodi leno non tantùm pa-  
triam, & dominicam potestatem in filias, & ancillas eas amittit, &  
infamis afficitur: sed & proscriptus mancipatur pœnæ exilij, & pu-  
blicis metallis addicitur.

*dict. l. lenones 6. & l. seq. C. de spectaculis, lib. 11. Peinliche Halsge-  
richtsordnung / articul. 122.*

## L X II.

Secundum genus quæstuarij lenocinij est, cùm quis extraneas  
fœminas dulcedine verborum, & pollicitationibus inuitas pellicit  
ad hoc, vt se libidini masculorum præbeant: Atque huiusmo-  
di leno ex Iustiniani sanctione ultimo afficitur supplicio. Et si quis  
patiatur in sua domo eiusmodi quendam lenonem exercere lenoci-  
nium, decem librarum auri pœnam sustinet, & circa ipsam etiam  
habitationem periclitatur.

*Nouell. 14. vbi vide Cuiac. & Duar. ad Tit. ff. ad leg. Iul. de adulter. cap.  
5. in fine. Dambouder. in praxi rer. criminal. cap. 91. nu. 5. & 6. Sed Iul.  
Clar. lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 68. nu. 23. & VVesembec. in paratit. ff.*

*ad leg. Iul. de adulter. nu. 16. nullâ adhibitâ distinctione, lenonibus vltimum supplicium propositum esse tradunt.*

## LXIII.

Tertium genus est, cùm quis mulierculas vltro meretricio more viuere cupientes prostituit: cuiusmodi lenocinium similiter quidem prohibitum est, (a) & ipsum lenonem, & lenam infamem reddit: (b) verùm scripto iure Romano pœnâ affici corporali non videntur leno, & lena. (c)

a) *dict. Nouell. 14. quâ quidem omne lenocinium prohibetur: at non omne corporali pœnâ plectitur. (b) l. 1. §. Qui lenocinium, & l. Athletas, 4. §. Ait Pretor. 2. ff. de his, qui notantur infam. & dict. l. palam 43. §. lenocinium, 6. & §. seq. ff. de ritu nupt. (c) argum. legum proximè adductarum, & scribit Duaren. ad Tit. ff. ad leg. Iul. de adulter. cap. 5. in fine. Sed Ioan. de Plat. ad l. 2. in fin. C. de iure emphyteut. dicit, quòd lenones sint de ciuitate pellendi: quem refert, & sequitur Matth. de Afflict. ad Constitut. Neapolit. Rubric. 43. nu. 1. per text. in l. nullus, 2. vbi Paul. de Castr. C. de summa Trinitat. De pœna lenonum vide quoque Iul. Clar. dict. lib. 5. §. fin. quest. 68. nu. 23. & Mench. lib. 1. de arbitr. iud. quest. 38. nu. 15. & 16.*

## LXIV.

SUCCEDIT modò Sodomia. Sodomia est crimen publicum, quo homo cum bruto animali, mas cum mare, mulier cum muliere concumbit, & libidinem contra naturam exercet: cuius sceleris pœna mors est, & quidem iure Iustiniano reus criminis huius gladio puniri iubetur: (a) at iure Carolino ignis supplicio afficitur. (b)

a) *l. cùm vir nubit 31. C. ad leg. Iul. de adulter. (b) Peinliche Halsgerichtsordnung Kayser Carls des V. articul. 116. De hoc flagitio vide quoque Paulum Grilland. Tractat. de pœnis omnifariam coitus, quest. 8. Damhouder. in dict. praxi criminal. cap. 96. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. Sodomia. pagin. 78. & seq. & Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 3. casu 286.*

## LXV.

RESTAT raptus. Raptus est crimen publicum, quo quis honestam

honestam foeminam, matrimonij iungendi, aut libidinis exercenda causâ per vim abstrahit. Neque interest, foemina illa sit virgo, laica, aut sanctimonialis, vel vidua, vel aliena coniunx, aut sponsa raptoris: consenserit item raptori, aut non consenserit.

*l. vn. in prin. C. de raptu virginum. l. si quis 5. & l. Raptores 54. C. de Episcop. & Cler. Nouell. 143. can. lex illa 27. quest. 2. & can. lex illa, 36. quest. 1. Peinliche Halsgerichtsordnung, articul. 118. De hoc crimine vide Paulum Grillandum in Tractat. de poenis omnifariam coitus, quest. 10.*

## L X V I.

Huius criminis varia est poena. Primò enim raptor in ipso raptu, & flagranti adhuc crimine deprehensus, à foeminae parentibus, consanguineis, tutoribus, curatoribus, patrono, vel domino impunè occidi potest.

*dict. l. Raptores 54. in prin. vers. Qui itaque. C. de Episcop. & Cler. dict. l. vn. in prin. vers. Ne igitur. C. de raptu virg. & Nouell. 143. in prin.*

## L X V I I.

Quòd si raptor ex praedictorum manibus effugerit, capitis supplicio subijcitur: vt & comites illius, ac alij, qui ipsi auxilium tempore inuasionis contulissent noscuntur: tum etiam conscij, & ministri huius criminis, & qui raptorem, caeterosq; auxiliatores, & comites receperunt. (a) Seruilis conditionis raptor igni concrematur. (b)

*dict. l. si quis 5. & l. raptores 54. C. de Episcop. & Cler. l. vn. C. de raptu virginum. Instit. de public. iudic. S. Item lex Iulia de vi, vers. sin autem per vim. l. 4. S. vlt. ff. de vi public. & dict. Nouell. 143. Peinliche Halsgerichtsordnung / articul. 118. (b) dict. l. vn. in fin. C. de raptu virg.*

## L X V I I I.

Parentes quoque foeminae si patientiam praebuerint, ac dolorem remiserint, deportatione plectuntur.

*dict. l. vn. S. penult. in fin. C. de raptu virg. & dict. Nouell. 143. vers. sed parentes etiam.*

## L X I X.

Adhuc bona raptoris, & eorum, qui ipsum comitati, & in raptu

ptu auxiliares fuerint, ad dominium raptæ fœminæ pertinent: (a) nisi sanctimonialis fuerit rapta fœmina: hæc enim duntaxat vsum fructum substantiæ raptoris habet; proprietas ad monasterium perinet. (b) Raptâ quoque ancillâ, aut libertinâ, raptoris bona nullam diminutionem patiuntur. (c)

a) *dict. l. vn. §. 1. & 2. C. de raptu virgin. & Nouel. 143.* (b) *dict. l. Raptores 54. vers. Bona autem. & vers. seq. C. de Episc. & Cler.* (c) *d. l. vn. §. 1. C. de raptu virg.*

## LXX.

Denique huius criminis reo condemnato appellandi quoque licentia adempta est.

*dict. l. vn. in fine prin. C. de raptu virg.*

## LXXI.

Est & hæc raptus pœna, quòd raptæ fœminæ denegatur facultas nubendi raptori: (a) cui si nubat, raptoris, & auxiliatorum bona amittit, quæ parentibus eius tribuuntur, non consentientibus ipsis nuptijs; nec quicquam ex testamento raptoris capere potest. Quòd si parentes mulieris iam decesserint, aut sceleri huic consenserint, fisci iuribus bona illa vindicantur.

*dict. Nouell. 143. vers. Sancimus itaque, & Nouell. 150. Quibus locis & illud cauetur, quòd parentes consentientes nuptijs illis deportentur.*

## LXXII.

Est & alius raptus, qui est stuprum per vim honestæ fœminæ, aut mari illatum; (a) cuius pœna similiter capitalis est. (b)

a) *can. Raptus, 27. quest. 2. & can. Raptus, 36. quest. 1. l. maritile nocinium 29. §. vlt. ff. ad leg. Iul. de adulter. Damhouder. in praxi rer. criminal. cap. 95. n. 1. & 2.* (b) *l. 1. §. vlt. ff. de extraord. crimin. Peinliche Halsgerichtsordnung/articul. 119.*

## LXXIII.

Commune illud est vtriusque raptus, quòd præscriptione quinquennij crimen hoc non aboletur.

*d. l. vn. in fin. prin. C. de raptu virg. d. l. mariti 29. §. vlt. ff. ad leg. Iul. de adult. & d. l. 4. §. vlt. ff. ad leg. Iul. de vi public.*

Si quis



## LXXIV.

Si quis raptum committat in meretrice, pœnæ extraordinariæ locus erit.

*Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 3. casu 191. nu. 3.*

## Additamenta.

## I.

**L**egem Iul. de adulterijs, non C. Iulio Cæsari, sed Diuo Augusto acceptam referimus.

*Per l. 1. ff. ad leg. Iul. de adult. Vide Coras. lib. 2. miscellan. cap. 1. n. 8. & 9.*

## I I.

Si Christianus Iudæam, vel Iudæus Christianam vxorem duxerit, quasi adulter accusari, & damnari potest.

*l. Ne quis Christianam. 6. C. de Iudæis, & Cœlicolis.*

## I I I.

Hinc licet vigore statuti quadam in ciuitate in verum adulterum pecuniaria tantū conuertatur pœna; attamen Iudæus cum Christiana muliere verum adulterium committens in eadem ciuitate, non statutariâ illâ pœnâ, sed eâ, quæ iure communi definita est, plecti debet.

*arg. d. l. 6. C. d. tit. & sentit ita contra communem Iul. Clar. lib. 5. sentent. S. adulterium, nu. 10.*

## I I I I.

Quæritur, an qui adulterium commisit, non dolo, sed culpâ latâ, afficiatur pœnâ adulterij ordinariâ, nec ne? Nos extraordinariam, & leuiorem illi pœnam irrogari arbitramur.

*arg. l. In lege Cornelia 7. ff. ad leg. Corn. de sicarijs. Ioan. Bernhard. Diaz. in fallent. Regul. iuris, regul. 540. Iul. Clar. lib. 5. sentent. S. fin. quest. 84. nu. 1.*

## V.

Dominus feudi, si adulterium committat cum vxore Vasalli sui, aut eius filix, vel forori virgini stuprum inferat, proprietate rei feudalis mulctatur.

*Per tit. 6. §. vlt. tit. 26. §. Domino, & tit. 47. iunct. tit. 24. §. Rursus si domini, lib. 2. feudor. & iunct. tit. 5. §. Item si fidelis, & tit. 21. §. vlt. lib. 1. feud. Iodoc, Damhoud. in praxi rer. crim. cap. 89. n. 32.*

Vocatur

## VI.

Vocatur & illud in quaestionem, si alicubi ex statuto non mortis, sed alia imponatur poena adultero, puta pecuniaria poena, aut poena castigationis, an in eo, qui saepius cum aliena vxore eadem concubuit, poena illa multiplicari, & reiterari debeat, nec ne? Sententia negantium nobis probatur, existimantes tamen in hoc poenam aliquantum augeri posse.

*arg. l. ei, qui 9. in prin. ff. de furt. & l. illud 32. §. vlt. ff. ad leg. Aquil. & l. 2. ff. de priuat. delict. & nominatim tradit gloss. ad l. vulgaris 21. in prin. in verb. fur erit. ff. de furtis, quam communiter Dd. probant, quos referunt & sequuntur Didac. Couar. lib. 2. var. resolut. cap. 10. nu. 8. vers. Quod verò diximus, & Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. adulterum, n. 11.*

## VII.

De crimine adulterij transigere non licet.

*l. transigere, 18. C. de transact.*

FINIS DISPUTATIONIS  
DVODECIMAE.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Einband. 3/1.





## Disputatio XII.

DE ADULTERIO, STUPRO, IN-  
cestu, Lenocinio, Sodomia, &  
Raptu,

QVAM,

*Diuinā aspirante gratiā,*

P R Æ S I D E,

CLARISSIMO,  
ET CONSULTISSIMO VIRO,  
DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.  
*eminentissimo, & in illustri Academia Tubingensi Professore  
celeberrimo, Domino Praeceptore suo  
honorando:*

ORDINARI EXERCITII GRATIA,  
tempore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate de-  
fendere conabitur

M. GEORGIUS LEBEMYCVS  
*Austriacus.*



TUBINGA,  
Typis Georgij Gruppenbachij,  
ANNO M. D. XCVIII.

Mm

